To Constantine Huygens.

Illustrissime Vir

Destinato ad te calamo, verum loquor, nominis tui timor me occupavit, quod scolasticus ego, calcare non verear limen quod profanus quisque sine sacrilegio non tangerit. Sed, cum sciam, inter tantas virtutes, quibus omnibus, fama magnitudine, in orbe iam senescente umbram feceris, humanitatem familiam ducere, tuae benignitatis erit, animos & audaciam addere, quo verecundiae cursus secets, pulsoque rubore renascar. Ut ab ipsâ igitur audaciâ vires mutuem; non utique juvenem, tui amantem, tui cultorem, speique, quâ me inebriari passus sum, plenissimum quod in Excellentiae tuae notitiam adspirare audeat suspiciosum putabis. Forsan, ipse mihi debuissem Mercurius esse, quam, sic viam ad tui magnitudinem affectare; vel, ad minimum, versu, (pabulâ tuae excellentis animae) & altiori sono te compellasse. Quod prius attinet, tentavi, sed, non dabatur conveniendi potestas, quippe Hagâ absens. Dein, non abs re laudabilius aliquando, si per ministros: inconsultâ enim temeritate eo saepissime prolabimur, ut, dum commodissime fi=

eri

~~fieri~~ fieri quid autumamus, nobis ipsis inutiles, imo noxios aliis difficiles nos exhibemus. Quod posterius: ad pedestrem hunc sermonem perveni, quod nollem nugas meas tanti Viri judicio expositas. Spartani placuere, queis tibia, non tuba in pugna dat animum. Possem quidem, neque sum tam degener Apollinis, verum

Non ausus tener est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

Tu enim V.I. primus, optimus, maximus. Merito ergo te supra Horatianos & Pindaricos cygnos, quosque plures veneratur, casta antiquitas, & sapiens posteritas, non moriturae gloriae pennis evolasse dicam: ut jure docta tui vestigia, quotquot orbe litterarum amatores, venerabundi exosculemur: quem geminatâ felicitate, belgicâ latinâque carminantem videmus, nec aemulum hactenus reperisse, nec aequalem, ac eoque nec secundum sed, Fucati sermonis opem mens conscia laudis
Abnuit.

Una, ac verissima tui laus, ex vero nec posse nec laudari velle.

Vale fulcrum atque Columna Musarum, meque in illo-

rum

illorum hærere numerum, qui Ext[ia]e T. quam devo=
tissimos, et commodatissimos exoptant, patere.

C. H.

Qui potes constans momentis esse desultorijs
Inter arma, buccinasque, rumoresque bellicos:
Iure Constantini nomen, atque habes Constantiæ.

Ærarium hoc meum ab Excellentiâ tuâ impetratum venit, ne ipsi denegare velit tralatitiu[m] illud officium inscribendo Albo nomen Hugenij, illustri famâ per mare ac terras propagatu[m]; pro his hominem hunc, qui se tuum (forsan insolentius) profiteri audet, obligatissimu[m] devotissimu[m] abijs & semper habebis.

E. T.
Cultor submissus

Henric Picardt

Franekeræ CIↃ IↃC. LVIII. Prid. Non. Oct.

S. M.H. 182.

© British Library
Add MS 22953, f. 148-149
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5590

© British Library
Add MS 22953, f. 148-149
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5590